

§. 11. *Illic*, nimirum in arithmetica Ratione, si differentia (nomen Rationis) addatur minori, vel subtrahatur à majore termino, alteruter sibi relictus alteri fit æqualis. Vt si à majore (6) subtrahatur differentia (4) residuum (2) est æquale minori sibi relicto. *Hic* nimirum in geometrica, si quotitas (nomen Rationis) minorem multiplicet, aut majorem dividat, alteruter sibi relictus alteri fit æqualis. Vt si major (6) dividatur per quotitatem (3) quotus (2) est æqualis minori sibi relicto (2) Et, si major (2) multiplicetur per quotitatem (3) productum (6) erit æquale majori.

§. 12. Illa tamen Ratio, nempe *arithmetica*, singularem habet proprietatem *præ geometricâ*, nempe qua differentie dimidium subtractum majori pariter & additum minori, facit utrumque terminum, diversum quidem, sed inter se æqualem: ut si differentie (4) dimidium (2) adjiciam minori (2) vel subtraham à majore (6) aggregantur illic (4) & hinc relinquuntur (4) inter se æqualia.

§. 13. In qua quidem proprietate famigerabilis illa fundatur analogia Rationis, aut, ut vulgò dicitur, Proportionis arithmetice cum *justitia commutativa*. Nam si supponamus Caji bonorum substantiam omnem esse v. g. 1000. fl. & tantum quoque possidere Mævium: illum autem ab hoc rem, verè 60. fl. æstimandam, emisse tantum 50. florenis: Subductâ re 60. fl. à Mævii creditoris substantiâ, substitutoque pretio 50. fl. habebit Mævius jam 990. fl. hoc est,  $1000 - 60 + 50$ . Subtractis verò 50. florenis, quas expendit Cajus, substitutâque 60. florenorum re, quam accepit, habebit Cajus jam 1010. flor. hoc est  $1000 - 50 + 60$ . Vtriusque differentia est 20. flor. Contractu itaque sic inito, Emptor 20. fl. plus habet quam Venditor, qui tamen ante